

Eodem planè modo Lutherus errore de condonatione peccatorum mercede comparanda Pontificiis erepto acquieturus, & libenti animo se à certamine ulteriore remoturus fuerat, nisi aduersariorum veluti irritatorum canum latratibus petitus defensionem veritatis afferendæ necessariò suscipere, & plures subindè pravitatum errores indagando repertos patefacere coactus fuisset. Idque divinitus sic accidisse dubium non est, ut multorum attentio & cura excitaretur, qui utriusque partis dogmata excuterent, probarentque ad regulam verbi divini, veluti ad lapidem Lydium, & ad iudicem, quo lites Theologicae discernuntur, cœlo delapsam examinarent.

§. 27. Idem & eruendæ veritatis abditæ studium in Duce Georgio erat, qui cum cognovisset, Johannem Eccium magnificis verbis ad disputandum Vitebergenses elicere, neque hos à congressu refugere, ipse locum utrisque designaturum se esse promittit. Antistes Merseburgius, & qui tùm Lipsiæ erant Theologi, Matthias Hanensis, Hirsbergius, Königshofius, Suevenius, Tungersheimius, Fraendienstius & Lungenfchneiderus, Principis rationes improbabant,